Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

latore Christi ipsorum est permaxime et specialiter per eiusdem scilicet et professionis et habitus conformitatem. Professio quidem ipsa est abrenuntiatio saeculi et mortificatio carnis, praecipue vero propriae voluntatis. Habitus autem signum tantae professionis tunica fuit inconsutilis, quae nunc usque est monachorum vestis. Hanc Cassianus in primo institutionum libro colobium vocat. Sed sanctus Silvester papa nomen colobiorum in dalmaticas commutavit, et in divinis tamen officiis solis diaconibus et episcopis usum eius concessit, videlicet pro dignitate apostolicae vestis. Denique in vita eius legerunt quidam colobium Romae allatum, quod sancti Iacobi apostoli fuisse asserunt. Sed et sancti Bartholomaei candidum legimus colobium. In vita etiam patrum Apollonius abbas cum ducentis suis monachis albis tunicis et quidam lineis utebantur colobiis. Et nota quod eadem vestis praeter diaconum et episcopum nulli in clero conceditur, nec ipsis praeter officium altaris. Monachi vero ut suum proprium hunc omni tempore indifferenter portant vestitum, tam laici quam clerici. Cuius etiam vestis dignitatem commendat in suis scriptis sanctus papa Bonifacius, dicens eum angelicum esse vestitum, dum sex alis suis imitatur Seraphim et crucis Christi profundum, altum, longum, latum complectitur. Unde et nobis novem tamen lectiones legere ordo praecipit, ipsis vero xii. non humana sed angelica institutio ordinavit, practicae et contemplativae vitae ratione inter nos et illos differentiae. Denique novenarius infra denarium imperfectionem denotat. Porro duo denarii super denarium quasi plus quam perfectum est. Habet enim bis in se senarium, qui solus infra denarium perfectus est. Congruit hic eis numerus propter eius quae nunc est et aeternae vitae perfectionem. Sciverunt quidem causa humilitatis et quietis ecclesiastico regimini praeesse refutarunt et ministrare altaribus, nec in rotundum attondebantur nec in coronas radebantur. Sicut Antonius, Paulus, et omnes Aegypti patres, usque beatum Benedictum et papam Gregorium. Qui beatus pater non sacerdotium proposito, sed propositum praeferens sacerdotio, et absque differentia graduum dignitatum sine praeiudicio meritorum votorum quoscumque de clericis de sacerdotibus suscipi iubens. Si venerit aliquis, inquit, in monasterium sacerdos vel clericus, subeo quod praeter officium altaris est abbate videlicet ponitur et disponitur. Officium enim praeter meritum non solum non reddit quemquam laudabilem, sed plurimum detestabilem. Nec non modo aliquid praemii confert, sed praesumptori poenam gravissimam infert. Et alterum quidem officium scilicet est dispensationis et necessitatis, alterum vero idem professio monachi libertatis est et felicitatis. Et licet utrumque commendetur per alterutrum, sacerdotium tamen propter propositi meritum approbatur, non propositum propter sacerdotium assumitur. Sanctum quidem est sacerdotium, sed professio felicius est meritum, sed promerente. Optimus ille quem digne commendat utrumque. Unde Hieronymus cum inquit sacerdotium propositum et propositum commendat sacerdotium. Sed omnis itaque ecclesiasticus ordo ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Quis dignius assumetur, spiritualis an saecularis persona, scilicet monachus aut homo aliquis